

Numi bracteati Tigurini recensiti, explicati & ad vivum delineati

Autor(en): **Hottinger, Davide**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 15

PDF erstellt am: **21.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394654>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

NUMI
BRACTEATI
TIGURINI

Recensiti, explicati & ad vivum delineati

Auctore

(*) DAVIDE HOTTINGERO.

Lectori Benevolo Salutem.

Quemadmodum de regionibus illis, quas gens inclyta Helvetiorum colit, de Regiminis illorum forma, de belli pacisque studiis, moribus, legibus, aliisque diversa sæpe, nonnunquam falsa etiam Auctores exteri & rerum nostrarum minus periti tradidere; ita dissensum non minorem, nec errores leves prodere solent in describenda re illorum numaria.


Viden-

(*) Publicavit hanc Disquisitionem Vir dum viveret consultissimus & patriæ Historiæ illustrandæ studiosissimus, jam anno MDCCII: ut Patronis præcoci Eruditionis Specimen relinqueret, in comitatu Illustrissimæ atque Excellentissimæ D. ROBERTI SUTTONIS, Oratoris ad Portam Ottomanicam Anglici, ad extremos Europæ fines abituriens, daturus ibi operam Linguis exoticis & studiis cum sacris, tum civilibus.

Videntur autem Germani jure quodam præ aliis gloriari numis suis Bracteatis, quum illorum nulla mentio facta sit neque in antiquissimorum Numorum Gallicorum descriptione à *Bouteroüe du Fresne*, & *le Blanc* edita, neque in veteribus Anglo-Saxonum numis à *Speld* & *Speelman* descriptis, nec denique in antiquis Gothorum numis a *Scheffero*, *Mulenio*, *Bartholino*, &c. explicatis. Quum ergo non contemnenda illorum copia nos Tigurini quoque instructi simus ornatique, visum mihi est, antiquitatum studiosis, qui hos numos laudabili studio eruderare & per vestigare solent, rem non ingratham me facturum, si in obscura hac & magni laboris materia glaciem in patria frangere instituam, atque brevem aliquam *Numorum* horum *Bracteatorum*, (quorum magnum numerum mihi comparavi,) explicationem publice tradam. Fateri interim cogor, & fateor expertus, verum omnino esse, quod Doctissimus Jenensium Antiquarius *Adamus Schmidius* dicit: *Numos Bracteatos inferior ætas nobis reliquit, ut haberemus subinde novam materiam vel crucem, quæ eruditos exerceat.*

Explicationem equidem uberiolem tum res ipsa, tum curiosa subsidiorum documenta desiderare videbantur, utique quum alia etiam Helvetica Ecclesiastica & Politica Domina ac Urbes tales *Numos Bracteatos* (quorum nonnullos possideo,) cuderint, & *Thuricensis*

Nimi Bracteati Figurini.



ricenses nostri antiquitate cæteris omnibus præripiant palmam ; sed illam in aliud tempus differre placet, sperare interim licet, horum numorum, (qui maxime necessarii, quum unus ex alio explicandus sit,) numerum majorem in manus venturum, meque in illorum tractatione feliciorum aliquando futurum.

Cæterum in hocce Specimine nominis explicationi aliisque circumstantiis diu immorari non animus fuit ; contentus dixisse, in Documentis Tigurinis antiquissimos Tigurinorum numos vocari, *Solidos denarios, Denarios, &c.* in majoris pecuniæ usu ; *Marcam argenti ponderis Thuricensis*, ut infra videbimus. In Documentis Germanicis vocabantur : *Pfenning, Züricher, Pfenning, Züricher Geb, Pfenning* ; &c. Nomen autem *Augster*, vel hodie *Angster* a faciebus in illis numis expressis, sequentibus seculis ad monetæ commodiorem distinctionem, ortum omnino est, ut falsi sint, qui vocabulum *Augster* ab Augusto derivare amant.

In cæteris hujus materiæ circumstantiis, quod nempe illa usque ad XIV. Seculum purissimo argento constiterit ; in figuris, & inscriptionibus, qua item autoritate, quo pondere, valore, usu valuerint, *Benevolus Lector* brevitatem illam, cui studuimus, benigne interpretetur.

Tandem nonnulli antequam hoc breve Specimen meum legerint & rite pensitaverint, tales antiquitates incertas & non magni momenti esse judicabunt, &c. Sed his ego respondeo, incertitudinem utique in his rebus magnam esse, & meas vires in explicandis tantis difficultatibus parvas; veritas tamen dictis meis constabit, donec alius majore labore, sumtuque, & studio sese ad illustrandam patriæ historiam accinxerit, quod futurum spero ab eo, qui usum fructumque hujus laboris vel eninus perspexerit. In quem finem *Curioso Lectori* ad Calcem Tabulæ incertos aliquos Numos Bracteatos antiquos proposuimus, quorum aliqui, Fig. a. b. ex utroque latere cusi & tamen Bracteati, omnes ex Figuris, aliisque circumstantiis memoratu per digne sunt. Vale.